


# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## VIA ORIENTALIS



EUROPALIA 91 quae Portugaliae dicantur celebrabuntur a die 19 m. Sept. in diem 29 m. Dec. in variis Belgicae urbibus. Compluribus expositionibus demonstrantur Portugalensium artes facinoraque, quorum maxima certe pertinent ad inventionem VIAE ORIENTALIS ad Indos ducentis.

Plerique aequales nostri vix sciunt quanti momenti fuerit haec parva natio tempore Renascentiae. Cuius rei testimonio sit haec historiuncula: quantus tumultus in portu Dartmouth in Anglia quodam aestivo die anni 1592 ortus sit, vix nobis fingere possumus. Nam caraca Portugalensis "Madre de Deus" nominata, quae ancoram in navibus iecerat, multo maior erat, quam ceterae naves umquam in Anglia conspectae. Quinquaginta metra longa, 1600 doliorum capax, ter maior erat quam maximae Anglorum naves. Septem habebat

tabulata, ubi disponebantur 32 maiores aenei canones et multi minores. Eius parietes ornatae, pictae, auratae sole fulgebant. Quam navem solitariam ex India redeuntem non longe ab Accipitrum insulis ex improvise adorta erat et ceperat classis piratarum Anglorum. Tumultus tamen in portu Dartmouth non tam propter maiestatem lautitiamque navis Portugalensis ortus erat quam propter incredibilem praedam; continebat enim arcas aureorum argenteorumque nummorum plenas, margaritas forma perfectas, succinum, adamantes auro inclusos, ampullas muschi plenas, tapetia delicatissima et id quod etiam maioris erat pretii, ingentem copiam piperis aliarumque specierum orientalium... Non mirandum quod postea monopolium viae orientalis Portugaleses diu sibi servare non potuerunt...

Gaius LICOPPE

# CUIUS SIT DE UXORE VENDENDA DECERNERE

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

*Hanc acroasin Ericus Palmén Finus fecit inter ferias Latinas Nicenses, die 23 mensis Augusti anno 1991.*

Credo ego plerosque legentium viso titulo acroasis meae mirari, quidnam in ea agere mediter. Mirantibus statim breviter respondeo: nihil aliud nisi ad recensendum versum antepaenultimum *Menaechmorum* Plauti pauca proferre. Proinde ne quis ex illo titulo perperam concludat me ipsum mulieres pro mercibus habere. Immo procul a me absit istius generis suspicio!

Personae principales comoediae supra dictae sunt gemini filii cuiusdam mercatoris Syracusani. Hi, postquam in pueritia seiuncti in diversas urbes inciderunt, adulti demum casu invicem se reperiunt et recognoscunt. Priusquam autem illa *ἀναγνώρισις* fiat, variis ambo erroribus aguntur, cum alii similitudine fratrum decepti eos internoscere non possint.

Quinam incipiente primo actu fabulae sit status rerum, in prologo eius lucide exponitur. Mercator ille Syracusanus cum Menaechmo, uno geminorum filiorum septuennium, ex Sicilia in Italiam profectus nave mercibus onerata Tarentum pervenit. Ibi forte ludi sunt, puerque in multitudine hominum a patre aberrat; qui eo undique frustra quaesito tandem desperans morbo implicatur et paucis post diebus moritur. Interim Menaechmus ab alio quodam mercatore Epidamnum, quae urbs in ora adversa maris Hadriatici sita est, transportatur et adoptatur, neque domi Syracusis quisquam scit, utrum vivat an mortem obierit. Multis annis post geminus frater Sosicles, cuius nomen originale avus, ut memoriam amissi pueri servaret, in Menaechmum mutavit, cum servo suo Messenione ad fratrem quaerendum proficisci statuit. Nave igitur Syracusis exeunt et oras maris Mediterranei circumnavigare incipiunt. Sexto demum anno forte in portum Epidamni appellunt, omnino nescientes in ea ipsa urbe fratrem illum desideratum - Menaechmum primum sive genuinum - adultum cum uxore dotata vivere.

Scaena comoediae est Epidamnum urbs. Hac in acroasi eos tantum locos, in quibus uxor Menaechmi conspicuas partes agit, fusius tractabo.

Illa asperae naturae est mulier, quae «dote freta» (cf. v. 767) maritum sub potestatem suam redigere studet. In coniugio revera sub iugum se missum esse queritur Menaechmus iam primum in scaenam prodiens, cum in uxorem sive matronam suam absentem acerbissima maledicta congerit: sese, quotiens foras ire velit, ab ea retineri, revocari, rogitari, quo eat, quam rem agat, quid negotii gerat, quid petat, quid ferat, quid foris egerit. Portitorem se domum duxisse: ita omnem sibi rem eloqui necesse esse, quicquid egerit atque agat (cf. v. 114-118). Haec locutus, ut sibi persuadeat se nihilo minus dominum esse domi suae, declarat se ad meretricem iturum esse ac pallam a se uxori surruptam ei daturum. Ingressae in scaenam meretrici, cui nomen est Erotium, pallam donat eamque rogat, ut prandium apparandum curet non solum sibi et ipsi, sed etiam Peniculo parasito, qui monologo Menaechmi audito se ei comitem insinuavit.

Meretricis iussu Cylindrus, coquus eius, ad obsonandum exit. Interim Menaechmus et Peniculus expectantes, dum prandium apparetur, in forum ad tempus consumendum abeunt. At paulo post Cylindrus obsonatu rediens Menaechmum ante aedes Erotii cum viro ignoto ambulantiem conspicit. Hi sunt Menaechmus II (sive Sosicles) et Messenio servus, modo e nave in terram egressi. Tum primum oritur colloquium risum et hilaritatem spectatorum excutiens, cum Cylindrus aspectu Menaechmi in errorem inducatur et hic obstupefactus miretur se in urbe ignota ab homine ignoto ac videlicet insano recte Menaechmum appellari. Deinde meretrix ipsa in scaenam reversa «animulum suum» (cf. v. 361) Menaechmum ad se invitat. Hic aliquando ei resistere conatus tandem (v. 414): «Hercle, opinor, pernegari non potest!» exclamat servumque, ne intret, admonentem tacere iubet et abire.

Ita Menaechmus II fratris loco ad meretricem admittitur; quae aliquot horis post ei a se exeunti pallam sibi donatam tradit petens, ut ille eam phrygioni reconcinnandam deferat. Egressum e domo Erotii Menaechmum, qui pallam fert, forte aspicit Peniculus rediens e foro, ubi a Menaechmo I aberravit, atque ingenti furore afficitur: illum scelestum dedita opera rem eo deduxisse, ut parasitus prandio privaretur! Neque continere se potest, quin Menaechmum vehementissimis oppro-



brilis adoriatur, interrogatusque ab hoc, num sanum habeat sinciput (v. 506), denique iurat se uxori eius omnia de palla et de prandio elocuturum.

Peniculo et matrona inter se colloquentibus maritus ipse inopinans e foro revertitur. Haesitanti matronae, quidnam cum illo agat, Peniculus suadet (v. 565-570): «Idem, quod semper: male habeas! Sic censeo. Huc concedamus; ex insidiis aucupa!»

Menaechmus I se in foro litibus implicitum frustra multas horas corrupisse secum querens insidiantes non prius videt, quam illi ira incensi prodeant. Tunc maritus coram parasito uxori accusanti obicitur. De palla diu interrogatus tandem fateri cogitur se eius surruptae non omnino insontem esse, ac vehementer oppugnatus ita se excusat (v. 567): «Sed ego illam non condonavi, sed sic utendam dedi.» Ad hoc uxor indignatione iustissima flagrans respondet (v. 658-660): «Equidem ecastor tuam nec chlamydem do foras nec pallium quoiquam utendum! Mulierem aequomst vestimentum muliebre dare foras, virum virile! Quin refers pallam domum?» Promittit maritus se curaturum, ut palla referatur. Uxor addit eum ex re sua id facere debere; neque enim, nisi pallam secum tulerit, umquam domum introiturum esse.

Asperrimam tamen repulsam cum conviciis fert Menaechmus etiam a meretrice, quippe quae paulo ante fratri eius gemino illam pallam tradiderit. Haud multo post hic pallam ferens uxori fratris occurrit. Ab ea nequaquam benignis verbis acceptus recenti memoria etiam contumeliarum a Peniculo factarum miratur, quam rabe peregrinos obiurgandi complures Epidamnienses capti esse videantur. Matrona furibunda tempus disciplinae coniugalis restituendae adesse existimans se patrem accessituram ei minatur; hunc certe facturum, ut ille ipsam ridere desinat.

At senex paulo post in scaenam ingressus longe aliter, ac matrona rata est, se gerit: non enim prorsus filiae protegendae causam suscipit, sed monet eam iure ludibrio haberi a marito, qui «meretricem ex proxumo» (v. 790) amet atque apud eam potet. Illum sane sapere; se quidem persaepe filiae suasisse, ne perpetuo observaret, quid maritus faceret, quo iret, quid rerum gereret. Una opera eam marito veniam negare posse apud quemquam alienum cenandi aut ullum umquam hospitem apud se accipiendi; una opera eam marito pensum dare posse atque illum inter ancillas sedere et lanam carere iubere!

Postquam vero matrona maesta dixit se patrem non sibi advocatum adduxisse, sed viro, qui ipsam despoliare et ipsius ornamenta ad meretrices degerere soleret, senex ad Menaechmum II interrogandum transit. Tum hic optimum factu esse ducit insaniam simulare ac speciem furibundi praebere, ut sui liberandi causa matronam et

senem e scaena absterreat. Hac re egregie effecta ipse fugae se mandat. In scaenam redit senex exspectans medicum, quem ad aegrotum curandum advocavit. Postquam medicus advenit et cum sene de symptomatis morbi illius repentini colloqui coepit, ecce Menaechmus I ab Erotio exclusus iis appropinquare! Ad eum de morbo percontandum medicus confestim aggreditur. Menaechmus continuis rebus adversis eius diei iam defessus se absurde pro insano interrogari indignissime fert. Cum graviter irritatus denuo furorem concipere posse videatur, placet quattuor lorarios robustos accessi, qui eum medico curandum auferant.

Cum lorarii in scaenam ingressi Menaechmum circumsistunt et deprehendunt atque in medicinam auferre instituunt, hic magnum tollit clamorem: nonne quisquam civium Epidamniensium sibi, cui insonti vis inferatur, subvenire audeat? Id audit Messenio, qui forte eo ipso tempore adveniens oculis hiantibus consistit: suum erum, qui liber Epidamnum venerit, meridie in pacato oppido a praedonibus velut captivum deripi! Tantam se iniuriam fieri numquam passurum. Herculea igitur ira incensus lorariis pugnos obserere et ora commetare incipit flagitans, ut eum dimittant. Neque hi Messenioni furenti diu resistere valent, sed fugae se dant. Ita liberatus Menaechmus I Messenionem interrogat, quam ratione ei pro beneficio gratiam referre possit. Neque hic dubitat petere, ut ille se manu emittat. Paululum temporis alter miratur se ab adulescente ignoto, qui non sit suus servus, talia rogari; sed mox ei urgenti morem gerit. Libertate impetrata Messenio confestim e scaena exit. Paulo post tamen revertitur litigans cum vero suo domino, cui in via occurrit. Dum Messenio se modo a Menaechmo liberum abire iussum esse contendit, hic iratus respondet (v. 1058-1059): «Quin certissimumst mepte potius fieri servum quam te umquam emittam manu!»

Medio hoc litigio advenit Menaechmus I, quem animadvertentes illi vix oculis suis credunt: speculum et imaginem Menaechmi II se videre! Tum demum ambo intellegunt se id perfecisse, quod sex annis ante Syracusis navem ascendentes sibi proposuissent: fratrem diu desideratum reperisse. Hic primo sermonibus eorum valde obstupescit. Tandem post longam disceptationem fratres «signa agnoscunt continerique nequeunt, quin inter se complectantur» (cf. v. 1124). Libertate Messenioni denuo concessa placet, ut ambo Syracusas remigrent. Antequam hoc fieri possit, auctionem conclamari necesse est ad vendenda omnia, quae Menaechmus I Epidamnis possidet. Accepto praeconio Messenio haec verba facit (v. 1157-1159):

«Auctio fiet Menaechmi mane sane septimi. Venibunt servi, supellex, fundi, aedes, omnia venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia.»

Nunc pervenimus ad versum 1160, quem

emendandum esse censeo. Omnes editores Plauti credere videntur Messenionem in eo velut culmen recitationis suae assequi:

«Venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit.»

Ego autem hunc versum omnino noluerim Messenioni attribuire. Potius Menaechmum II in eo a fratre quaerere decet: «Venibitne uxor quoque?» atque hoc responsum ferre: «Etiam, si quis emptor venerit». Mea igitur sententia non liberti praeconis, sed ipsius mariti a fratre gemino interrogati est de uxore vendenda decernere.

In hac emendatione proponenda duobus argumentis nitor. Unum eorum ad usum generalem sermonis Latini pertinet. Adverbia *quoque* et *etiam* idem fere significantia seorsum adhiberi solent; in eodem enuntiato plerumque non occurrunt. In vulgari quidem sermone personarum Plauti hoc interdum fit (e.g. Mercator v. 328 et Persa v. 744), sed id nos minime cogit talem pleonasmum sive redundantiam ibi accipere, unde rationali interpretatione vel emendatione amoveri possit. Hoc, de quo nunc agitur, loco manifesta oritur redundantia, si Messenioni totum versum attribuimus, nulla autem, si primo Menaechmum II interrogantem facimus et deinde fratrem eius respondentem. Pro confirmativo igitur adverbio (ut Francogall. *oui* et Angl. *yes*) hic *etiam* positum esse arbitror, quod Plautus alibi quoque fecit (e.g. Amphitruo v. 544 et Mostellaria v. 1000). Accedit, quod haec emendatio nobis, si volumus, potestatem dat particulae *-ne* verbo *venibit* suffigendae, sine qua metrum in hoc versu aliquantum claudicat. Necessarium quidem id non esse putaverim; constat enim metrum a Plauto saepe admodum neglegenter observari.

Alterum est argumentum - et id quidem maioris fortasse ponderis -, quod Plautus in Menaechmis componendis talem videtur adhibere rationem, ut ubique ea, quae priora dicantur, fundamenta sint eorum, quae sequantur, sive, ut dicit Horatius in Arte poetica (v. 152), «primo ne medium, medio ne discrepet imum». In fabula, quam supra capitulatim exposui, nullus est locus, quo Messenio cum uxore Menaechmi colloquatur aut conveniat aut alio modo ostendat se eam cognovisse; unde igitur scire potest eam tanta esse asperitate naturae, ut vix ab ullo homine ematur? Itaque non est, cur ille Menaechmum ne sententiam quidem rogans simpliciter de uxore eius vendenda decernat. Aliter res se habet cum in Menaechmo II, quem uxor fratris semel lingua sua feminea verberavit et «flagitium hominis» appellavit (v. 709), tum in ipso fratre gemino: his tali modo iocantibus imum fabulae medio eius non discrepat. Etiam culmen finale comoediae efficacius fit, si maritus ipse, qui se totiens ab uxore male tractatum esse censet, a fratre interrogatus veniam dat eius vendendae, praesertim cum Messe-

nio audito responso statim ad spectatores conversus tacita voce addat (v. 1161): «Vix, credo, auctione tota capiet quinquagessis aes».

Si quis forte me textum codicibus traditum nimis audacter corrigere iudicaverit, ei item dicam, quod olim Richard Bentley dixisse fertur: rationem apud me plus valere quam centum aut mille codices. In omnibus comoediis Plauti - nec minime in ipsis Menaechmis - passim sunt loci corrupti, quos librarii textum exscribentes saeculis labentibus adeo confuderunt, ut viris doctis eos recensentibus necesse fuerit aliarum personarum verba aliis attribuire, ne omni rationi repugnarent.

In iis, quae in hac comoedia inter Menaechmum I et uxorem eius fiunt, certe ne vestigia quidem sunt felicitatis coniugalis. Huius rei culpa in utroque coniuge manifesta patet. Menaechmus sine dubio eius generis maritus existimari debet, qui vix ulli mulieri perpetuam felicitatem afferre possit. Si totam comoediam perlegerimus, eum non solum vestimenta, verum etiam varia ornamenta aurea uxori surripere solitum esse comperimus, nec tantum cum Erotio, sed videlicet etiam cum ancilla huius aliquid ludi amatorii habuisse (cf. e.g. v. 541-543). Uxor autem Menaechmi quo modo condicione sua abusa sit, non solum maritus, sed etiam Peniculus parasitus et pater ipsius ac nonnumquam vel ipsa verbis suis ostendunt. Itaque in his coniugibus aestimandis optime valet proverbium Finnicum *Pata soimaa kattilata, musta kylki kummallakin*, id est «Culpat ollula catillum, nigrum latus est utriusque».

Forsitan dicat quispiam Plautum in hac fabula insignia spectatoribus exempla praebuisse, ut demonstraret in matrimonio et maritum et uxorem suis plerumque peculiaribus vitiis teneri, quae omni modo cavenda essent. Meminerimus tamen celeberrimum illum comoediarum scriptorem non tam spectatores docere aut praeceptis vitae educare quam vulgus Romanum delectare voluisse. Hac de causa personas suas saepe consulto vulgariter aut ridicule se gerentes facit. Ambo fratres Menaechmi, qui in ultimo demum actu comoediae alter alterum recognoscunt, personae admodum ridiculae existunt. An nihil ridiculi est in fratribus ceteroquin simillimis et eo tantum inter se differentibus, quod alter eorum semper in scaenam rediens pallam, vestem femineam, fideliter secum portat? Equidem persuasum habeo illos ipsos iterum atque iterum omnibus spectatoribus effrenatum risum et cachinnum commovisse.

Haud iniuria dictum est id optimum fuisse meritum Plauti, quod novas comoedias Atticas imitans et retractans nimia urbanitate Graeca liberare sciret et ita efficere, ut turba spectatorum Romanorum maxime e plebe indocta constans iis perfrui posset. ■



## De Plauti Menaechmis

*Postquam tam iucunde actum est de Menaechmis, nonne vobis venit desiderium nonnullos huius fabulae versus legendi? Hanc scaenam vobis proponimus, ubi lorarii Menaechmum I tenent, qui de suo infortunio nihil intellegit:*

SENEX - MENAECHEMUS I - LORARIJ - MESSENIO

SE. Per ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum Sapienter habeatis curae, quae imperavi atque impero. Facite illic homo iam in medicinam ablatu sublimen siet, Nisi quidem vos vostra crura aut latera nihili penditis. Cave quisquam quod illic minitetur vestrum flocci fecerit. Quid statis? quid dubitatis? iam sublimen raptum oportuit. Ego ibo ad medicum. Praesto ero illi quom venietis. MEN. Occidi! Quid hoc est negoti? Quid illisce homines ad me currunt, obsecro? Quid voltis vos? Quid quaeritis? Quid me circumstitis? Quo rapitis me? Quo fertis me? Perii! Obsecro vostram fidem, Epidamnienses subvenite cives! Quin me mittitis? MES. Pro di immortales! Obsecro, quid ego oculis aspicio meis? Erum meum indignissime nescioqui sublimen ferunt. MEN. Ecquis suppetias mihi audet ferre? MES. Ego, ere, audacissime. O facinus indignum et malum, Epidamni cives, erum Meum hic in pacato oppido luci deripier in via, Qui liber ad vos venerit! Mittite istunc. MEN. Obsecro te, quisquis es, operam mihi ut des Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam. MES. Immo et operam dabo et defendam et subvenibo sedulo. Numquam te patiar perire, me perirest aequius. Eripe oculum istic, ab umero qui tenet, ere, te obsecro. Hisce ego iam sementem in ore faciam pugnosque obseram. Maxumo hercle hodie malo vostro istunc fertis. Mittite. MEN. Teneo ego huic oculum. MES. Face ut oculi locus in capite appareat. Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones. LOR. Periiimus! Obsecro hercle. MES. Mittite ergo. MEN. Quid me vobis tactios? Pecte pugnis. MES. Agite abite, fugite hinc in malam crucem.



Em tibi etiam! Quia postremus cedis, hoc praemi feres. Nimi(s) bene ora commetavi atque ex mea sententia. Edepol, ere, ne tibi suppetias temperi adveni modo. MEN. At tibi di semper, adulescens, quisquis es, faciant bene,

Nam absque te esset, hodie numquam ad solem occasum viverem. MES. Ergo edepol, si recte facias, ere, med emittas manu. MEN. Liberem ego te? MES. Verum, quandoquidem, ere, te servavi. MEN. Quid est? Adulescens, erras. MES. Quid, erro? MEN. Per Iovem adiuro patrem Med erum tuom non esse. MES. Non taces? MEN. Non mentior: Nec meu(s) servos numquam tale fecit quale tu mihi. MES. Sic sine igitur, si tuom negas me esse, abire liberum. MEN. Mea quidem hercle caussa liber esto atque ito quo voles. MES. Nemp(e) iubes? MEN. Iubeo

hercle, siquid imperist in te mihi. MES. Salve, mi patrone. - Quom tu liber es, Messenio, Gaudeo. - Credo hercle vobis. - Sed, patrone, te obsecro, Ne minus imperes mihi quam quom tuos servos fui. Apud ted habitabo et quando ibis, una tecum ibo domum. MEN. Minime. MES. Nunc ibo in tabernam, vassa atque argentum tibi Referam. Rectest obsignatum in vidulo marsuppium Cum viatico. Id tibi iam huc adferam. MEN. Adfer strenue. MES. Salvom tibi ita, ut mihi dedisti, reddibo. Hic me mane. MEN. Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis. Alii me negant eum esse qui sum atque excludunt foras, Vel ille qui se petere argentum modo, qui servom se meum Esse aiebat, med erum suom, quem ego modo emissi manu. Is ait se mihi allaturum cum argento marsuppium. Id si attulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet. Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat. Socer et medicus me insanire aiebant. Quid sit mira sunt. Haec nihilo esse mihi videntur setius quam somnia. Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam

suscenset mihi,  
Si possum exorare, ut pallam reddat, quam refe-  
ram domum.

*MENAECHMUS II - MESSENIO*

MEN. Men hodie usquam convenisse te, audax,  
audes dicere,  
Postquam advorsum mi imperavi ut huc venires?  
MES. Quin modo  
Erupui, homines qui ferebant te sublimen quat-  
tuor,  
Apud hasce aedis. Tu clamabas deum fidem atque  
hominum omnium,  
Quom ego accurro teque eripio vi pugnando, ingra-  
tiis.  
Ob eam rem, quia te servavi, me amissisti liberum.

Quom argentum dixi me petere et vassa, tu quan-  
tum potest  
Praecucurristi obviam, ut quae fecisti infitias eas.  
MEN. Liberum ego te iussi abire? MES. Certo.  
MEN. Quin certissimumst  
Mepte potius fieri servom quam te umquam emit-  
tam manu.

*MENAECHMUS I - MESSENIO - MENAECHMUS II*

MEN. Si voltis per oculos iurare, nihilo hercle ea  
caussa magis  
Facietis ut ego hinc hodie abstulerim pallam et  
spinter, pessumae.  
MES. Pro di immortales! Quid ego video? MEN.  
Quid vides? MES. Speculum tuom. ■

(Pl. Men. v. 990-1062)

## PLAISIR D'AMOUR

SCRIPSIT THOMAS PEKKANEN

Durat temporis momentum  
ex amore gaudium  
dolor ex amore durat  
totum vitae spatium.

Propter Sylviam ingratham  
omnia reicio  
illa vero me reiecto  
viro calet alio.

Durat temporis momentum  
ex amore gaudium,  
dolor ex amore durat  
totum vitae spatium.

«Dum in rivum lento lapsu  
curret aquae copia,  
cuius alveo cinguntur  
prata florecentia,  
diligam te», semper mihi  
repetebat Sylvia.

Adhuc aqua versus rivum  
sicut ante labitur,  
illa vero commutata  
aliter afficitur.

Durat temporis momentum  
ex amore gaudium,  
dolor ex amore durat  
totum vitae spatium.

Plaisir d'amour  
ne dure qu'un moment,  
Chagrin d'amour  
dure toute la vie.

J'ai tout quitté  
pour l'ingrate Sylvie,  
Elle me quitte  
et prend un autre amant.

Plaisir d'amour  
ne dure qu'un moment,  
Chagrin d'amour  
dure toute la vie.

Tant que cette eau  
coulera lentement  
Vers le ruisseau  
qui borde la prairie,  
Je t'aimerais,  
me répétait Sylvie;

L'eau coule encore,  
elle a changé pourtant.

Plaisir d'amour  
ne dure qu'un moment,  
Chagrin d'amour  
dure toute la vie.

Jean-Pierre Claris de Flor-  
rian (1755-1794) opere princi-  
pali «Fabulae» (Fables, 1792)  
intitulato tantum successum  
habuit, ut in Academiam Fran-  
cogallicam triginta tres annos  
crearetur. Maiorem autem  
quam fabulis populi favorem  
uno carmine meruit, ubi monet  
de brevitate voluptatis, quam  
diuturnus dolor subsequitur.  
Modos musicos, quibus carmi-  
nis celebritas debetur, compo-  
suit Giambattista (Padre) Mar-  
tini.

Meam versionem vel imita-  
tionem Latinam, quam primo  
vere 1990 scripsi, in Scholis  
Frisingensibus et in Feriis Lati-  
nis Nicensibus eiusdem anni ut  
exemplum posui, quomodo  
carmina rhythmica de una lin-  
gua in alteram verti aut de eis-  
dem thematis variari possent. ■



# DE INSTITUTIONE LATINA IN ITALIA

SCRIPSIT IOSEPHUS AMADIO

«Meditatio aestiva» Gai Licoppe (cfr Melissam 43) me incitavit in aliquas cogitationes de causis quibus in Italia, cuius rerum condicionem satis bene cognosco, institutio Latina hodie dilabatur. Ad causas a Gai Licoppe perlucide descriptas, mea sententia, aliae recentiores sunt adiciendae, quae pertinent ad doctrinam politicam, ad novam linguisticam, ad Ecclesiam Romanam.

Post alterum bellum mundanum finitum, in Italia institutio Latina ab ipsis magistris habebatur non potius pro vera lingua, communicationi apta, quam pro abstrusa intellegentiae exercitatione, cuius fines putabantur praesertim hi:

1. ingenii sive ratiocinationis facultates extendere;
2. linguae Italicae scientiam confirmare;
3. aliquas paginas bonorum Latinitatis auctorum legere;
4. aliquos locos Latinos ad proprias orationes exornandas memorare.

Porro autem lingua institutioque Latina difficillimae putabantur et ideo utili impedimento discipulis neglegentibus.

Quae cum ita essent, in factionibus democraticis progressivisque crevit ea opinio, ut institutionis Latinae solum finis esset discriminatio quaedam detrimentosa adversus discipulos ex proletariatu aliisque ex classibus popularibus oriundos, quibus discipulis, non propter defectum intellectus sed propter diversas domesticas socialesque condiciones, in institutione Latina - communicationi omnino inutili - optime cedere non liceret. Itaque institutio Latina tantum ad perpetuandum dominatum classium possessorum super alias classes valere videbatur: institutio igitur non prorsus democratica, sed etiam conservativa, atque adeo rerum pristinarum studiosa sive «reactionaria», si hoc verbo uti licet.

Interea doctrina linguistica nova principia statuebat quae sunt inter alia haec:

1. Lingua, omnis lingua, perpetuo mutatur, voces locutionesque novae nascuntur dum aliae de

memoria excidunt et extinguuntur. Propter quod exempli gratia sermo Italicus superioris saeculi iam ex aliqua parte mortuus dici potest. (Quid vero de lingua Latina?).

2. Domini linguarum, ut ita dicam, vel linguarum mutationum, non sunt grammatici sed humiles loquentes, princeps maximus usus. (Linguae Latinae, ut quisque videt, non desunt grammatici, sed valde desunt, pro dolor, humiles loquentes. Deestque usus.)

Hae opiniones linguisticae, ad politicas quas supra memoravi adiunctae, institutioni Latinae graviter nocuerunt.

Cum autem Ecclesia Romana sermonem Latinum in ritibus celebrandis dimisit (quod etiam aliis rationibus dolendum est), corroborati sunt omnes hostes Latinitatis.

His opinionibus inter Italos pervagatis factum est ut institutio Latina in scholis mediis prius diminueretur deinde aboleretur et auctoritas eius minus minusque pondus haberet etiam in gymnasiis ipsisque in studiorum universitatibus.

Hodie in conspectum veniunt non nulla indicia rerum novarum. Paulula sunt sed spem incipiunt. Fieri potest ut nobis, in imum puteum delatis, nunc tantum liceat iterum escendere. Quod dicit vetus Italarum proverbium et ego quoque ardentem spero.

Sed pristini errores vitandi sunt. Non iam lingua Latina habeatur abstrusa exercitatio sed sermo communicabilis, non difficillima sed facilis sive aequae difficilis ac aliae linguae, non paucis optimatibus reservata sed omnibus praesertim Europaeis patens hominibus. ■

# MUSA MUSICES (PARS QUINTA)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

## 29. SIDRONIUS HOSSCHIUS, VOTA (LEOPOLDO GUILIELMO AUSTRIAE ARCHIDUCI) EX ARTE MUSICA<sup>30</sup>

Auribus est etiam sua concedenda voluptas:  
saepe per has animum leniter illa subit.  
Pectora fessa malis longisque exercita curis  
quo levet artificis gratia vocis habet.  
Cantus mollit opus nec tempora longa videri,  
sollicito quamvis plena labore, sinit.  
Cantus et e manibus districtos excutit enses,  
componitque animos restituitque sibi,  
praecipue dum se vocum commendat et artis  
dotibus et numeris se probat ipse suis.  
Non satis est si vox respondeat ima supremae  
et concors mediis haec sit et illa sonis.  
Mille modis opus est lenociniisque canendi,  
mulceat ut sensus vox, Leopoldae, tuos.  
Sit teneris arguta sonis, sit rara necesse est  
cui dicas: «Nostris pars eris una chori».  
Ars tibi iudicium de se perfecit opesque  
intellecta tibi quas habet ipsa dedit.  
Ut rapiunt animos discrimina dulcia vocum  
in tibi selectis quae meruere locum!  
Audiat has Orpheus; citharam plectrumque  
reponet  
miratus teneros ore silente modos.  
Audiat has Siren; vocalia comprimet ora  
et «Cantus» dicet «dulcior ille meo est.»  
Da Priamum nobis vocesque exaudiat illas;  
iam minus Hectoreo funere maestus erit.  
Redde Philocteten ad Lemni surda querentem  
litora; tam blandae sentiet artis opem.  
De saxis homines factos ait esse vetustas:  
saxa ferox animis et rude vulgus erant.  
Threiciis iterum rigeant mortalia saxis  
pectora; tam blandus molliet illa canor.  
At tu laudatus felix chorus exere voces,  
exere: iam litui, iam tacuere tubae.  
Ecce tibi princeps animum iam praebet et aures:  
nunc, o nunc solita dulcius arte cane.  
Mulceat angustum qua polles gratia pectus  
totque datum curis occupet una locum.

## 30. GERARDUS AVIDIUS, IN IOSQUINUM A PRATIS MUSICORUM PRINCIPEM NAENIA<sup>31</sup>

Musae, Iovis ter maximi  
proles canora, plangite,  
comas cypressus comprimat:

Iosquinus ille ille occidit,  
templorum decus  
et vestrum decus.

Severa mors et improba  
quae templa dulcibus sonis  
privas et aulas principum,  
malum tibi quod imprecer  
tollenti bonos,  
parenti malis?

Apollo sed necem tibi  
minatur, heus mors pessima,  
instructus arcu et spiculis,  
Musasque ut addant commonet  
et laurum comis  
et aurum comis.

«Iosquinus», inquit, «optimo  
et maximo gratus Iovi  
triumphat inter caelites  
et dulce carmen concinit,  
templorum decus,  
Musarum decus.»

## 31. POLYHISTOR PHILOMUSUS (= DES. ERASMUS), EPITAPHIUM IOANNIS OKEGEM MUSICI SUA TEMPESTATE SUMMI<sup>32</sup>

Ergone conticuit  
vox illa quondam nobilis,  
aurea vox Okegi?  
Sic Musicae extinctum decus?  
Dic age, dic fidibus  
tristes, Apollo, naenias.  
Tu quoque, Calliope  
pullata cum sororibus,  
funde pias lacrimas;  
lugete quotquot musices  
dulce rapit studium  
virumque ferte laudibus:  
artis Apollineae  
sacer ille Phoenix occidit.  
Quid facis, invida mors?  
Obmutuit vox aurea,  
aurea vox Okegi,  
vel saxa flectere efficax,  
quae toties liquidis  
et arte flexilibus modis



per sacra tecta sonans  
 demulcet aures caelitem  
 terrigenumque simul  
 penitusque movit pectora.  
 Quid facis, invida mors,  
 vel hoc iniqua maxime,  
 aequa quod omnibus es.  
 Sat erat tibi promiscue  
 tollere res hominum.  
 Divina res est Musica.  
 Numina cur violas?

**32. SAMUEL ROSENBOMIUS, DE VALENTE HAUS-  
 MANO MUSICO INSIGNI<sup>33</sup>**

Ars LASSI VECCHIQUE lepos, mens dia PINELLI  
 HAUSMANI in penito cordis habent adyto.  
 Absit ut harmonicis illum praestare modillis  
 his tribus affirmem. Sed tamen unus habet  
 haec partim tria, quippe artem, mentem atque  
 leporem,  
 VECCHIE, tuam, atque tuam, LASSE,  
 PINELLE, tuam.  
 Ergo qui dubitat tribus his illum addere quartum  
 lippit in eximiae cognitione rei.

**33. ARCTURUS IONSTONUS, MUSICA<sup>34</sup>**

Os mihi concessit Phoebus, cui cedit aedon,  
 inter populeas et philomela comas.  
 Plectra dedit rapidas quae possint sistere tigres  
 aut Amphioniis saxa movere modis.  
 Crimine pectoris tabulae commissa perenni  
 muta mihi, rex, hic ora lyramque vides.  
 Nunc oculis animata tuis spirabit imago  
 et solitum reddent ora chelysque melos.

**34. NICOL. GRUDIUS, AD BARBARAM HACHAM  
 MUSICAE PERITISSIMAM<sup>35</sup>**

Musis grata novem, gratissima, Barbara, Phoebus,  
 quae superas Latias Argolicasque nurus,  
 sive chelyn digitis leviter percurris eburnis,  
 seu libuit nervos voce iuvante sequi,  
 quod tibi barbaricum nomen posuere parentes,  
 annon barbarici pectoris illud erat?  
 Quin potius, quod te talem erudiere puellam,  
 o ter festivos ter lepidosque senes!  
 Nam quorum studiis, mea Barbara, barbara non  
 es,  
 barbarus haud dici debet uterque parens.  
 Barbarus at fuerit quisquis tua carmina temnet  
 et qui tam doctas nolet amare manus.

**35. ANDREAS RESENDIUS, AD DAMIANUM GOIUM  
 MUSICUM<sup>36</sup>**

Elige utro mavis horum te nomine dici,  
 an Phoebi aut Orphei, dulcis uterque modis.  
 Aut, si non spernis genus, a quo Musica primum  
 inventa est nobis, sis, Damiane, Tubal.

**ADNOTATIUNCULAE**

**(30)** Fons: Sidronii Hosschii e Soc. Iesu Elegiarum libri sex. Item Guilielmi Becani ex eadem societate idyllia et elegiae (...) (Antverpiae, 1667), pp. 207-208; usi sumus exemplari nostro. Hosschius Merckemensis Flander (1596-1658) inter principes s. XVII poetas Latinos est numerandus.

**(31)** Fons: Damiani a Goes equitis Lusitani aliquot opuscula (...) (Lovanii, 1544); usi sumus exemplari Lovaniensi. Avidius quis fuerit non constat; sunt qui ipsum Goium (1502-1574), Erasmi amicum, alio nomine vulgasse hoc carmen credant. Iosquium autem Pratensem (Desprez) musurgum (° in Hannonia, ca. 1440 - + 1521) quis est qui nesciat?

**(32)** Fons: cf. adn. 31; variantibus lectionibus insignitur editio Reedijkiana (The Poems of Desiderius Erasmus Introduced and Edited by C. Reedijk (Lugduni Batavorum, 1956), pp. 223-224) quam est secutus J. Coppens, Erasmus treurzang over Johannes Ockeghem, in Johannes Ockeghem en zijn tijd. Tentoonstelling (...) Dendermonde (...) 1970 (Oudheidkundige Kring van het Land van Dendermonde, Buitengewone uitgaven, XXIV) (Teneramundae, 1970), pp. 77-81. Ioannes Okegus sive Ockeghemus musurgus (° Teneramundae, ca. 1430 - + 1497) magnam vitae partem apud Parisienses Turonensesque degebat.

**(33)** Fons: Samuelis Rosenbomii poetae et theologi Holsat. clarissimi Poemata, ed. H. Rosenbomius (Hammaburgi, 1634), p. 122; usi sumus exemplari Antverpiae in bibliotheca urbis publica asservato. Samuel Rosenbohm (1567 - ca. 1634) anno 1597 a clarissimo Melisso in poetas laureatos est promotus. Valentinus autem Haussmann (ca. 1565 - ca. 1614) musurgus erat. Alluditur et Orlando Lasso (cf. adn. 8), Horatio Vecchi Mutinensi (1550-1605) et Ioanni Baptistae Pinello di Ghirardi Genuensi (ca. 1544-1587) musurgis.

**(34)** Fons: Delitiae poetarum Scotorum huius aevi illustrium, I (Amsterdami, 1637), p. 637; usi sumus exemplari Lovaniensi. Arcturus Ionstonus (1577-1641) Ovidi erat imitator idemque diversis in urbibus Scotiae, Germaniae, Francogalliae muneribus fungebatur academicis.

**(35)** Fons: Delitiae C Poetarum Belgicorum (...) illustrium, II, collectore R. Ghero (Francofurti, 1614), pp. 571-572; usi sumus exemplari Bruxellis in bibliotheca regia asservato. Nicolaus Grudius Nicolai (1504-1570) unus erat ex «tribus fratribus Belgis» qui poetica claruerunt laude; fratres erant eius clarissimus Ianus Secundus et Hadrianus Marius. Barbara Hache citharoeda videtur fuisse eis temporibus clara (cf. E. Vander Straeten, La Musique aux Pays-Bas avant le XIXe siècle (...), 2 (Bruxellis, 1872), pp. 374-375).

**(36)** Fons: cf. adn. 31. Resendus Eburensis Lusitanus (+ 1573) Nicolao Clenardo familiariter utebatur, Erasmus admodum admirabatur. V. 4 Tubal gentis Ibericae genitor credebatur fuisse. ■

# DE PUGNA ARMINII

SCRIPSIT THOMAS FUCHS

(Secunda pars)

X. (1) His consiliis cognitis Segestes ad Caecinam se contulit et eum certiozem fecit: (2) Arminium exercitum magnasque copias coegisse atque Hermunduris et Chattis et Sugambris persuasisse, ut auxilia mitterent. (3) Eum gentibus Germanorum libertatis studiosissimis ad dimicandum incitatis in animo habere castellum adoriri, quod legionibus deductis praesidio careret. (4) Eum per mercatorem Syriacum comperisse, qua die Varus adventurus esset. (5) Qua de causa se suadere, uti Romani usque ad illam diem, si qua ratione fieri posset, castris se tenerent, (6) quod ni ita essent, Romanos ab Arminio facile opprimi posse.

XI. (1) Caecina tamen praemetuens legionibus proficiscendi auxiliique Varo ferendi consilium capit, sacrificium faciendum curat. (2) Quo in sacrificio haruspices praesentiam Thusneldae militibus quintae decimae legionis pernicie futuram cognoverunt. (3) Praeterea ex Segestis percontatione tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret: Germanorum ingentem corporum magnitudinem, incredibilem virtutem, praeclaram patientiam famis frigoris inopiae rerum omnium milites timebant. (4) Hic ortus est ab importuna sceleratorum manu ceterisque naufragis, quos Varus undique collegerat, qui ex Syria in Germaniam provinciam spe ingentium donorum perducti erant. (5) Hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant; (6) abditii in tabernaculis aut suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur; (7) vulgo totis castris testamenta obsignabantur. (8) Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, ita perturbabantur, ut angustias itineris et magnitudinem silvarum, quae intercederent inter ipsos atque exercitum Vari, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere se dicerent.

XII. (1) Quo facto celeriter fit concursus in praetorium: legionarii milites, qui ad praetorium convenerant, clamitant, quod haruspicum responsa respicienda essent, sese non prius, quam mulier

aut necata aut amota esset, profecturos esse. (2) Itaque Severus Thusneldam proripi iubet, ut, cum eam pro victima immolaret, deorum immortalium numen placaret. (3) Eius caput mactata humana victima et cruore ara respersa ad vallum affigi, deinde Epaminondam, qui consilia Romanorum hostibus prodiderat, medio in praetorio deligari et undique vehementissime verberari iussit. (4) Et, cum omnia facinora, quae commisisset, confessus esset, statim verberibus exanimatur et securi fertur. (5) Cuius rei laetitia elati milites gladiis ad scuta concrepauerunt, quod facere in eo consueverunt, cuius facta approbant.

XIII. (1) His rebus perfectis Caecina, qui, quod quadragesimum id stipendium parendi aut imperitandi habebat, res et secundas et adversas sciebat, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus vehementer eos incusavit: (2) se adhuc proelio non concertavisse, quod cum tanta multitudine hostium praesertim eo absente, qui summam imperii teneret, nisi aequo loco aut opportunitate aliqua data legato dimicandum non esset. (3) Praeterea Arminii exercitum non esse timendum, cum Germani, qui liberi esse vellent, non facile dicto audientes duci essent; eis semper suspectos esse, qui principes esse vellent. (4) Germanos non esse dignos, qui populus appellarentur, sed omnem Germanorum nationem multis ex pagis constare, qui inter se continenter bellum gererent. (5) Praeterea eos non magnum in re militari usum habere, cum exercitum in armis perpetuo non haberent. (6) Sine loriceis galeisque in proeliis versari, neque habere scuta ferro firmata, sed viminum textus vel tenues et fucatas colore tabulas; primam esse aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela. (7) Comminus gladiis pugnare cum nescirent Romanosque caesim superare conarentur, omnem spem in insidiis ponere legionesque in silvis saltibusque opprimere conari neque eis usui esse magnitudinem scutorum neque hastarum longitudinem, quarum usum densissimae silvae impedirent, ut facile superari possent ab iis, qui comminus ora pectoraque pungerent. (8) Cum omnes res temere agerent, eodem modo bella gerere furore atque amentia impulsos, ut neque eos usus neque disciplina adiuveret et magis ratione et consilio quam virtute Romanos vicissent. (9) Neque enim

vulnera sustinere et sine pudore fugere, cum res in summo discrimine eis esse videretur. (10) Nam ut ad bella suscipienda Germanorum alacrem ac promptum esse animum, sic mollem ac minime resistantem ad calamitates ferendas mentem eorum esse. (11) Etiam C. Caesaris milites, qui Ariovistum valde timuissent, Germanos postea facile superavisse, cum imperator ab officio non discessisset. (12) Qui suum timorem in rei frumentariae simulationem angustiasque itineris conferrent, facere arroganter, cum de officio imperatoris desperare aut praescribere viderentur. (13) Delendam eis esse illam maculam clade Lolliana conceptam, quae penitus iam insedisset ac nimis inveteravisset in populi Romani nomine, ut C. Caesar veterem iniuriam, quam Helvetii L. Cassi exercitui intulissent, ultus esset.

XIV. (1) Hac oratione habita mirum in modum conversae sunt omnium mentes summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est: alacri animo omnia, quae ad defendendum castellum pertinent, parant administrantque. (2) Summum esse Caecinam ducem nec de eius fide dubitandum nec bellum maiore ratione administrari posse existimabant. (3) Postero die luce prima Caecina, quod Arminius paucorum dierum iter a nostris aberat, qui vallem abditam in silva Caesia quaerent, occultos saltus scrutarentur, umidis paludibus et fallacibus campis pontes aggeresque imponent, misit. (4) Deinde nostri in ea fossa, quae est circum castellum, sudes stipitesque peracutos defigunt.

XV. (1) Caecina, postquam unam cohortem, quam minime firmam ad dimicandum esse existimabat, castello praesidio reliquit et una cum ea bucinatorem et pauca ad speciem tabernacula, de tertia vigilia silentio cum novem cohortibus quintae decimae legionis impedimentis totius exercitus in castello relictis profectus ad eam vallem, quam supra commemoravimus, pervenit omnesque peditatus copias sese ibi occultare iussit. (2) Equites autem omnes, quos secum ducebat, praemisit, qui usi simulatione itineris tam placide progredierentur, ut peditatum cum iis esse crederes. (3) Ita exercitum iussit usque ad septimam horam iter facere, tum quam celerrime reverti. (4) Reliquarum copiarum Numidas et Cretas sagittarios et funditores Baleares prope castellum in silvis instruxit virgultaque prae se ferre iussit, ut, si se moverent, silva moveri videretur; (5) qua re Germanos, quorum omnis natio erat admodum dedita superstitioni, territum iri existimabat. (6) Eos, quorum virtuti maxime confidebat, in extremis silvis sic collocavit, uti silvae passim densissimae esse viderentur.

XVI. (1) Inguimerus certior factus ab exploratoribus, qui nostros milites una cum equitibus

profectos esse putaverant, maximam nostrarum copiarum partem abisse in regionem aquiloniam et iter facere in saltum Teutoburgiensem, ut Ansibarium perveniret, existimans magno cratium scarum harpagonum numero effecto copias suas ante frontem castelli instruit. (2) Sed aliquantum obtudefactus, quia magnus legionariorum numerus in castello adesse videbatur, Thusneldam ibi retineri arbitratur. (3) Eam ex contrario abductam esse putaverat, sed nunc sibi persuasum habebat praesidium in castello sui morandi causa relictum esse, quoad Caecina cohortibus suis cum exercitu Vari coniunctis reverteretur.

XVII. (1) Germani in castellum irrumpere conantur, crates prociunt, fundis sagittis lapidibus nostros de vallo proturbabant, assiduo labore defatigabant, quibus propter magnitudinem castrorum perpetuo erat isdem in vallo permanendum. (2) Sed Caecina Germanos, cum munimentis haerent, fundis sagittis tormentis propelli e submoventi iussit. (3) Inguimerus re deliberata equitibus imperat, uti tela intra castellum conicerent, et peditibus, ut praetoriam portam refringerent. (4) At ei, qui ipse una cum equitibus impetum in nostros faciebat, postquam caput Thusneldae, quod vallo castelli esse affixum dixeram, animadvertit, tantus terror incidit, ut paene armis proiec-tis fugae sese mandaret. (5) Germani, qui ex castello neminem repugnaturum esse arbitrati erant, omnibus rebus subito perterriti, sonu tubarum, armorum fulgore, parato ad dimicandum animo nostrorum, tantam timoris opinionem praebebant, ut statim magna fieret rerum commutatio. (6) Caecina militibus proelii committendi signum dare; qui mercatoribus calonibusque in vallo dispositis ipsi manu facta undique provolare impetumque in hostes facere vehementerque aciem hostium premere; levisque armaturae pedites e silvis egressi cum hostium equitatu proelium committere. (7) Funditores sagittariosque autem, quos in silvis dispositos demonstravimus, Caecina intra hostium multitudinem glandes sagittas reliquaue tela conicere iubet.

XVIII. (1) Ita ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est; Germani nostros premebant et paene circumventos tenebant. (2) Cum vero respexissent, multitudinem nostrorum, qui redierant, ab tergo adorientes conspiciunt... ■

*(sequetur)*

# DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Quinta pars)

BASSUS



Ecce lapidem funeralem generis equitis triumphantis. Talis operis caelati figuratio a Romanis non est excogitata, nam quinto iam a. Chr. n. saeculo talia in Thracia, i. e. in Graecia septentrionali, sunt figurata. Equitibus in proelio occisis reservata erant. Veteranis autem mortuis vel militibus iam dimissis sepulcra tali opere caelato exornata non permittebantur. Romani illud lapidum genus adoptaverunt a Thracibus, quorum multi in equitatu auxiliorum Romanorum militabant.

Legio Romana generatim quinque erat milium quingentorum circiter militum, quibus una ala attributa erat aut quingentorum aut mille equitum. Perpauci tantum Romani in equitatu militabant legionum: circiter quinquaginta in unaquaque legione.

Alae auxiliorum in turmas erant subdivisae. Numerus equitum alarum dependebat de numero militum in legionibus: legio simplex quinque milium quingentorum militum erat; in legione autem gemina undecim circiter milia militabant militum. Quaeque ala subdivisa erat in sedecim vel viginti quattuor turmas, quae e triginta vel quadraginta constabant equitibus.

Post militiam 25 annorum ad talem militem pertinebat gratificatio tredecim stipendiorum aut praedium. Miles legionarius post militiam 20 annorum tamquam veteranus quinque annos additionales in promptu esse debebat. Milites auxiliares post militiam 25 annorum munere solvebantur, i. e. rudem accipiebant. Sin autem socii populi erant, ilico militia ineunte civitate Romana donabantur, i. e. in civitatem accipiebantur. Milites iis locis militare solebant, ubi usui se optime esse putabant. Thraeces illis temporibus equites egregii aestimabantur.

Militibus ergo simplicibus auxiliorum civitas Romana non ante 25 stipendia conferebatur nisi ala ipsa ante alios fortitudine excelluerat. Talis ala cognomine civium Romanorum ornari solebat. Talibus militibus dimissis civitate Romana collata gentilicium imperatoris adoptare feminamque in matrimonium ducere licebat.

In alis Romanorum multi serviebant Germani cisrhenani cultu civili moribusque Romanorum funditus iam imbuti Germanosque transrhenanos hostes iam putantes.

Inspiciamus opus caelatum huius lapidis.

Equitem videmus in equo sedentem capite cerviceque galea protectis. Cervix ac genua membra sunt corporis maxime vulnerabilia. Eques hastam alte efferens adversarium interempturus est: ecce momentum motus transitorium.

Animal cuius iuba gravis est exornata, alteram aurem prorsus, alteram retrorsus convertens iussum domini exspectat.

Arma Bassi non sunt Romana, quia auxiliorum milites colobio saepe coriaceo protecti camisia usque ad femur descendente tunicaque interiore erant vestiti. Bracae infra genua desinunt: agitur ergo de barbaro. Milites autem Romani in pugna occisi generatim in opere caelato nudi ac sine calceis repraesentari solebant: nuditas heroica. Spatham gestat Germanicam; quendam hic cognoscimus provincialismum in arte illius lapidarii.

Eques dextra manu hastam tenet sinistraque scutum ovatum habenasque. Lorica squamata in parte inferiore est scissa, ita ut melius movere possit. Cum milia squamarum loricae sertae in lapide incidi non possent, in lapide pingi solebant. Post tot autem saecula in solo humido obruti imbribusque abluti colores evanuerunt.

Calceatu indutus non est. Quoad pedes equitis stapias sive stapes frustra quaerimus. Stapiae sexto p.Chr.n. saeculo inventae sunt ab Avaris, populo in Europa orientali viventi, a quibus Germani decursu temporum stapias assumpserunt et in exercitus Romanorum introduxerunt.

Caput adversarii superati ab equo proculcati inter ungulas anteriores animalis est coortatum parte superiore corporis nudata; bracis tantum Germanus est vestitus. Milites Romani quoque in Gallia ac in Germania militantes tales bracas hieme usurpare coeperunt frigoris vitandi causa. Ceterum quamvis spatha Germanica scutoque sit armatus, spe orbatus hostem in equo sedentem ferire non iam potest. Dextra autem manu ultimum equum saltem - si nihil aliud - ferire conatur, ut hostis decidat de equo.

Facies Germani humi iacentis nullo modo sine sympathia est delineata nulloque modo tamquam barbarus opere caelato repraesentatus.

Calo equum sequitur ille equitis servus rerum statum sine commotione inspiciens; aequae in directum spectat duasque hastas subsidiarias scutumque domini subsidiarium portat cuius adumbrationem bene cognoscimus.

Quoad barbaros superatos sub equo iacentes num Germani an Galli fuerint designari vix potest. Celtae ac Germani in opere caelato lapidum iconographice enim distingui vix possunt. Barbari generatim nudato pectore crinibusque longis solutis sagoque - nonnumquam bracis - induti repraesentabantur in lapidibus sepulcralibus effossis in provinciis Romanis. Suspiciari licet illos hostes adhuc barbaros nominatos proculcatos Germanos repraesentare.

Titus Flavius Bassus erat filius Mycalae, oriundus ex populo Dansalum, quorum sedes sitae erant in Dacoromania. Eques erat, in ala Noricorum militaverat. Noricum provincia erat in Austria centrali. Pugnaverat in turma Fabi Pudentis, forsitan viri eminentissimi fortissimique alae. Forsitan centurio? Nescimus. Bassus nomen Pudentis adiungere non omittit, ut ipse hunc in modum paululum emineat.

Pedites Romanorum milites erant optimi, sed tamquam equites tanti non valebant. Qua de causa boni equites alarum et auxiliorum plerumque e paeninsula Balcanica erant arcessendi.

Cecidit in pugna quadraginta sex annos natus. Militavit annos viginti sex. Heres hunc lapidem erigendum curavit.

In lateribus lapidis sepulcralis laurus et flos

acanthi sunt incisi insignia vitae aeternae.

Pauca de litterarum formis: in talibus lapidibus litterae vocales saepe minutae positaeque sunt inter litteras consonantes - pecuniarum servandarum causa. Saepe etiam litterae vocales cum consonantibus contrahuntur. Idem valet de numeris. Causa talis rationis: parsimonia, nam aliter lapis latior nimisque sumptuosus permagno constitisset.

Bassus e Dacoromania oriundus vir erat unius nominis. Quia peregrinus ei non erat civitas Romana. Post militiam autem viginti quinque annorum peregrini - plerumque agebatur de equitibus alarum - civitate Romana itemque iure trium nominum donabantur documentumque missionis iis tradebatur. Tali modo ipsi quoque veterani fiebant praenominaque adoptabant imperatoris. Inde ab illo tempore iis matrimonio se coniungere licebat adeo vero cum femina Romana.

Bassus, qui Tito Flavio Domitiano imperatore militaverat, praenomina imperatoris adoptavit et ex eo tempore nomen ei erat: Titus Flavius Bassus. Tamen nihilominus post viginti quinque annos militiae ab exercitu dimissus non est - forsitan dimitti noluit. Mansit ergo apud alam Noricorum. At infelix post unum annum additionalem in pugna cecidit. Sed quia in pugna cecidit, neque obiit in lecto, sumptuosum hunc lapidem cum opere caelato decoro «equitis triumphantis» meritis est.

Talia opera caelata admonent de rebus gestis equitum a Germanis eorumque sociis in pugna occisorum. Illae autem imagines nullo modo ad historias mythologicas se referunt, sed ad conflictus inter Romanos et Germanos.

Officinae talium lapidum sepulcralium in Germania Inferiore exstabant ac in Germania Superiore ubi lapides cum imaginibus generis equitis triumphantis conficiebantur, speciatim Mogontiaci ac Bonnae ac Coloniae quia talium lapidum indigentia plurima erat in regionibus a barbaris saepe invasis.

Praefecti militum in provinciis Germanicis sepeliri vix solebant quia cineres eorum generatim in Italiam portabantur. Hunc in modum intellegimus cur tam pauci lapides sepulcrales praefectorum in Rhenania sint reperti.

Concludere ex imagine operis caelati non licet quae fuerit illa pugna aut ubi aut quando eques mortem obierit: agitur ergo de pugnis inter equites Romanorum et Germanos aut Batavos.

Regione Rhenana pacata pugnae equestres desinunt et - quae cum ita sint - tales lapides sepulcrales equitibus triumphantibus exornati secundo p.Chr.n. saeculo non iam conficiuntur. Duabus provinciis Germanicis Domitiano imperante institutis tales imagines recedunt bellicosae incipiuntque opera caelata pacifica vitam cottidianam civilem commerciumve repraesentantia: magis magisque commutatio indicatur rerum. ■

# LUSITANIA AN PORTUGALIA?

SCRIPSIT ANTONIUS FREIRE

Mihi iamdudum cogitanti cur nemo fere nostris temporibus voce uteretur «Portugalia» ac tantum vocabulo «Lusitania» esset contentus, hoc extemplo occurrit responsum: nemo aut paucissimi tantum illud cognoscunt vocabulum, quod «Portugalia» audit.

Quod, si ne *Thesaurus* quidem *Linguae Latinae* neutrum affert, mirandum non est si neque alia lexica vix aut omnino non in eius duplicis vocis mentionem incidant. Imo, quaestionem praetermittunt qui subtilius in ista inquirunt eaque penitius callent, ut Carolus Egger, vir et doctrinae eruditus et a scribendi ratione perelegans, qui quidem in suo *Lexico Nominum Locorum* (Romae, 1977) verbum «Lusitania» solummodo laudat nec de voce «Portugalia» mentionem facit... Ait enim: «Portogallo-Portugal: Lusitania, ae, f. Vetus hoc nomen servamus: vulgare (Portugal) deductum est a Portu Cale. Est autem Cale urbs ad ostia fluminis Durii, de qua Servius ad Verg. Aen., 7,728, commemorat. Sed iam apud Isidorum Goth. 31, et in C.I.L. 2, p. 332 est Cale Portus vel Portucale.» Deinde subiungit: «Lusitani, orum; Lusitanus, a, um (Res publica Lusitana)» (cfr p. 246).

Unde inferri licet Carolum Egger, doctissimum virum, vocem «Portugalia» prorsus ignorare. Quod tamen vocabulum antiquius est apud scriptores Lusitanos (Portugalenses) qui Latine scripsere. Iam vero utrumque vocabulum testatur peritissimus quisque Latini sermonis scriptor qui in Portugalia de Latinitate bene sit meritus.

Ut exempla pauca adducam, en tibi imprimis nonnulla excerpta ex praeclarissima illa descriptione insignis victoriae, quam Portugaliae rex Alfonsus IV una cum Alfonso XI Castelae rege, ab ingenti Maurorum exercitu apud Salsum flumen, vulgo Salado, reportarunt. Cuius quidem proelii commentationem ab auctore coaevo, sed anonymo, digestam luculenter exhibet Dominus Frater Fortunatus a Sancto Bonaventura, ordinis Cisterciensis monachus, anno 1777 p.Chr.n. in lucem editus.

Dum is monachus Alcobacensis (in Lusitania) vocem adhibet «Lusitania», manuscriptum illud saeculi XIV (pugna namque apud flumen quod Salado vocatur anno 1340 inita est ac manuscriptum annum p.Chr.n. 1378 explicite memorat) fere vocabulo utitur «Portugalia», uti ex hisce liquet exemplis:

- «quondam Portugalliae regis» (p. 587)

- «olim reginae Portugalliae» (p. 587)
- «in regione Portugalliae» (p. 588)
- «a rege Portugalliae» (p. 589)
- «barones vero Portugalliae» (p. 591)
- «gens Portugalliae» (p. 591)
- «Portugalliae rex» (p. 591)
- «Portugalliae regem» (p. 591)
- «quod Portugalliam dividit a Castella» (p. 592)
- «rex autem Portugalliae» (p. 592)
- «regni Portugalliae» (p. 592)
- «rex Portugalliae» (p. 592)
- «Portugalliae regno» (p. 592)
- «rex vero Portugalliae» (p. 594)
- «Portugalliae regis nepotis» (p. 594)
- «qui erant de Portugallia naturales» (p.594)
- «Portugalliae rex» (p. 595)
- «olim Portugalliae ministrum» (p. 596)
- «rex Portugalliae» (p.597)
- «regis Portugalliae» (p.598)
- «a Portugalliae rege devictus» (p. 598)
- «in regis Portugalliae aciebus» (p. 601)
- «quem secum ad regnum Portugalliae adduxit captivum» (p. 601).

Adiectivo autem ex hac voce orto utitur «Portugallensis» (p. 591).

At iam multo ante (anno scilicet 1187) litteras dabat «Alphonsus gloriosissimus princeps et Dei gratia Portugalensium rex» ad abbatem Ioannem ac fratribus ut monasterium ordinis Sancti Benedicti aedificaret. Ibi igitur usurpatur adiectivum substantive sumptum «Portugalensis» pro «Portugalia», sicut et «Vimaranes» effertur pro substantivo «Vimaranum, i».

Saeculo autem XVI, Hieronymus Osorius (a. p.Chr.n. 1506 Olisipone nobili loco ortus) idemque «Cicero Lusitanus» recte ac merito appellatus vocabulo «Portugalia» et ipse utitur, sicut etiam adhibet vocem «Sanctarena» pro verbo «Scalabis», quemadmodum scriptores Portugalenses qui Latino utebantur sermone scriptitare soliti erant.

Adiectivum autem «Portugalensis» passim invenitur in Medii Aevi documentis Latine exaratis, utputa in «Charta libertatis Michlaelis (sic) Colimbriensis episcopi», et in «Epistola Michaelis Colimbriensis episcopi domno Alexandro Papae».

Nunc vero, quomodo in linguam Latinam haec inducta est vox «Portugalia»?

Ut rerum scriptores qui novissime hac de re disseruerunt nos edocent, «Portugalia» originem ducit a «Portugal». «Portugal» autem originem

repetit a *Portu-* + *Cale-* (scilicet ex accusativo *Portum* plus *Calern*). Haec erat forma vulgaris dictionis *Cales Portus*. *Cales* autem pagus erat ad ripam fluminis Durii situs. Cuius quidem origo, si vocis etymon spectes, obscura profecto est; fortasse Celtica.

Historica vero indicia huius compositi vocabuli alii aliter testantur: *Portumcale*, *Portucale* apud Hid. (saec. V p. Chr. n.); *Portocale* (saec. VI ac VII); *Portugali* (saec. VII et VIII); *Portocale* (saec. IX; Lusitana vox «Portugal» in usu iam erat saeculo XI (anno nempe 1041)<sup>1</sup>).

Hinc igitur ortum est vocabulum Lusitanum «Portugália», quod idem significat ac «Portugal»; sed ea vox perperam conficta est, siquidem hybrida est vox, vox nempe infimae Latinitatis... Efformata est enim ad instar vocabulorum «Britannia», «Francia», «Gallia», «Germania», «Italia» etc. Iam vero, dum ista nomina recte excusa sunt, videlicet *Britannia* ex *Britanni, orum*, *Gallia* e *Galli, orum*, *Germania* ex *Germani, orum*, deinde deinceps, vocabulum *Portugalia* mendose est confectum, quia terminatio *-ia* in Lusitano sermone solis adiectivis addenda est, sicut in *Hispania* ex *Hispanis*, non autem substantivis.

Quod, si vox Lusitana «Portugália» perperam est excusa, Latina «Portugalia» ex eodem profecta vocabulo longius sane tenuit, toto scilicet Medio Aevo, et id quidem apud probatissimos sermonis Latini scriptores Portugalenses.

Scribendum est autem «Portugalia» cum uno dumtaxta *l* et non *Portugallia*, ut fere fit.

Adde quod «Portugália» vox recentior quidem est quam «Portugal». Saepius enim occurrit in ms. saeculi XII.

In patrio sermone rectius profecto diceres «Portugale» vel «Portucale», aut adiective in plurali *Portugalensia* vel *Portucalesia*.

Ut ex Lusitanis rerum scriptoribus plane eruitur, *Portugalia* non solum ille pagus erat ad ripam fluminis Durii situs, sed etiam progrediente tempore, tota illa regio quae ad meridianam usque partem fluminis Limensis protendebatur. Itaque *Terra Portugalis* quandoque nuncupabatur (saec. X)<sup>2</sup>.

Vox «Lusitania» serior profecto est quam vocabulum «Portugalia». Re ipsa vera, Lusitania nomen fuit regionis seu provinciae Hispaniae, cuius quidem caput saeculo I p. Chr. n. *Emerita* (hodie vero *Mérida*) appellabatur.

Vox ista «Lusitania» proficiscitur ex ethnographico vocabulo «Lusitani» (sicut «Gallia» ex «Galli», «Germania» ex «Germani», et ita porro). Tantum quod vocabulum hoc recte est conditum, neque hybridismum olet, sicut «Portugalia». Vox autem «Lusitania» a Romanis est conficta eamque ipsi a Lusitanis derivarunt, quippe cum eis, praesertim cum eorum duce Viriato saepe decertaverint. Nomen vero prae-romanum videtur. Vocabulum

«Lusitani» pro voce «Portugalenses» videtur primum esse adhibitum ab episcopo Eborensi D.D. Garcia de Meneses (a. 1484)<sup>3</sup>.

Ille deinde vates Camoes nomen «Lusitanos» vulgavit (*Lus.* I, 50, 94, II, 44, etc.).

Ergo iam inde a saeculo XVI, cum apud Latine scribentes tum etiam apud Lusitanos scriptores, hae voces fere usurpatae sunt: Latine: Lusitania, ae, f.; Lusitani, orum. Lusitane: Portugal; Portuguese (interdum etiam Lusitanos). Apud aliquot scriptores (e.g. apud Hieronymum Osorium) etiam id temporis reperitur «Portugalia»; quae tamen vox paulatim in oblivionem decidit.

Nostris autem temporibus, si Latine scribimus fere sola voce «Lusitania» utimur; gentes autem communiter «Lusitani» appellantur; in carmine vero dicitur frequenter «Lusiadae, arum», pl. m., quemadmodum poema praeclari illius vatis, cui Camoes cognomen est inditum, interpretati sunt auctores Lusitani bene multi qui Latine scripserunt.

**Conclusio.** Quae cum ita sint, paucis iam constringam quae supra fusius dixi. En igitur tibi triplicem conclusionem:

1. *Portugalia* vox quidem antiquior est quam *Lusitania*, eaque toto Medio Aevo adhibita est et aliquando etiam renatarum litterarum artiumque aetate ab auctoribus qui nomen ab humanitate iure meritoque traxerunt, uti Hieronymus Osorius, qui quidem «Cicero Lusitanus» haud immerito appellatus est. Originem ducit hoc vocabulum a *Portu-* + *Cale-*. *Cales* autem pagus (non urbs) erat ad ripam fluminis Durii situs. Ex *Portu-* + *Caleductum* est nomen Lusitanae nationis «Portugal», quod quidem aliquando etiam «Portugália» nuncupatum est. Ex Lusitana voce «Portugália» ortum est vocabulum Latinum «Portugalia»: utrumque autem perperam est confictum, quia hybridismum redolet. Adiectivum vero «Portugalensis, e» est.

2. Vox autem *Lusitania* potior videtur, quoniam ab ipsis creata est Romanis, cum ii cum Lusitanis acriter pugnaverunt. Nomen vero prae-romanum quidem videtur, fortasse Celticum. Haec vox certe omnino est conficta, sicut *Britannia* ex *Britannis*, *Germania* ex *Germanis*, *Gallia* ex *Gallis*, *Hispania* ex *Hispanis*, aliaque id genus.

3. In carmine vero iam olim praeclarissimus ille Lusitanus vates Camoes vocem «Lusitanos» civitate donavit. Nostris autem temporibus haud raro invenitur vox «Lusiadae» pro dictione «Lusitani», cum agitur de Latine vertendo Camoniano poemate, quod Lusitane «Lusiadas» inscribitur. ■

1) Cfr José Pedro Machado, *Dicionário Onomástico etimológico da Língua Portuguesa*, vol. III, Lisboa, p. 1204.

2) *Dicionário Enciclopédico de História de Portugal*, vol. II, Lisboa, 1991, p. 121, sub v. «Portucale».

3) Cfr A. Herculano, *História de Portugal*, Introd., I, p. 38.





# SYMPOSIUM LATINUM

AUSPICIIS FINNICI MINISTERII PUBLICI REI INSTITUTORIAE HABENDUM

INSTITUT FINLANDAIS, Rue des Ecoles, 60, F-75005 Paris (tel. (1) 40.51.89.09).

Cultores fautoresque Latinitatis invitantur ut quam frequentissimi veniant Parisios ad Symposium participandum. Quod enim Symposium instituitur auspiciis publicis, id quod nostris temporibus raro fit. Diurnarii aderunt, quibus imprimis monstranda est frequentia Latinitatis amatorum.

Cancellarius Iaakko Numminen, rector Ministerii Publici Rei Institutoriae Finnicae, Symposium inaugurabit omnesque participes Veneris die vespere recipiet atque ad potiones cibosque sumendos invitabit.

## PROGRAMMA

Die Veneris 25 m. Octobris anno 1991:

15-19 h.:

- *Salutatio hospitem (T. Pekkanen)*
- *Oratio inauguralis (J. Numminen, Cancellarius Ministerii Finorum Instructionis publicae)*
- *"De universalitate Latina cum Europae commodo recuperanda" (P. C. Eichenseer)*
- *"Lingua Latina, populis parvis limen Europae" (K. Gantar)*
- *"Amisso vinculo Latino, translationum ingens impedimentum in Communitate Europaea administranda possitne superari ordinatro" (G. Licoppe)*
- *"Quae damna facultas linguae Latinae colendae adempta iuventuti Bohemo-Slovacae attulerit" (B. Mouchova)*
- *"De scintilla Latinitatis, quae in Bulgaria scintillat" (M. Minkova)*
- *"Linguam Latinam discere est operae pretium" (L. Stoelinga)*

19 h.: receptio Cancellarii Iaakko Numminen.

20 h.: monstrabitur pellicula cinematographica Plautina c.t. Rudens.

Die Saturni 26 m. Octobris:

10-13 h.:

- *"De lingua Latina laudibus a Laurentio Valla aetate, qua humanae litterae sunt restitutae, elata" (G. Lieberg)*
- *"Quid Melanchton de institutione Latina suadeat" (S. Albert)*
- *"Comenius, praeceptor gentium Europae" (A. Fritsch)*
- *"De lingua Latina instrumento communicationis inter homines XVII saeculi" (A. Bergère)*
- *"De terminologia neolatina saeculi XVII in Academia Finorum Aboensi" (R. Pitkäranta)*
- *"Poesis neolatina cuius fuerit in litterarum republica momenti" (D. Sacré)*

15-17 h.:

- *"De lingua Latina, instrumento commodo communicationis inter mathematicos diversarum nationum" (P. Hrandek)*
- *"De lingua Latina philosophorum occidentalium vinculo" (P. Walsh)*
- *"De lingua latina pacis symbolo" (C. Rossi)*
- *"De piis cantionibus Finorum" (V. Seppälä-Pekkanen)*

17-18.30 h.: colloquium generale apud mensam rotundam.

20 h.: concertus musicus a choro Finnico c.n. "milites pauperes", de piis cantionibus Finorum aliisque.

Die Solis 27 m. Octobris:

10 h.: conclusiones et nova proposita.

11 h.: receptio valedictoria.

12 h.: mirabilia Lutetiae visentur.